

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL
Decretum Praefecti

Prot. n. 47637/13 CA

Dimissionis a consociatione

(D.na N. - Pontificium Consilium pro Laicis)

DECRETUM

D.na N., titulo advocatae in foro civili exornata, anno 2004 utpote sodalis definitive admissa est in v.d. *Foyer* in Dioecesi X., ad consociationem privatam internationalem pertinente.

Pluribus translationibus peractis, Rev.dus Praeses consociationis D.nae N. mense ianuario 2011 a natione Y, ubi hucusque degit, regressum in Dioecesim X praecepit et eam die 17 februarii 2011, de consensu sui consilii, ad praeparationem reintegracionis in vita extra domum consociationis invitavit, quod D.na N. recusavit.

Die 4 februarii 2012 Rev.dus Praeses v.d. *Foyer X*, dimissionem a consociatione decrevit, contra quam decisionem, etiam a Rev.do Praeside sedis principalis subscriptam, ipsa die 10 februarii 2012 remonstrationem apud Rev.dum Praesidem sedis X interposuit et die 17 aprilis 2012 ad Pontificium Consilium pro Laicis provocavit, quod recursum hierarchicum, amplo supplemento instructorio peracto, decreto diei 18 decembris 2012 reiecit.

D.na N. die 2 februarii 2013 ad hoc Supremum Tribunal recurrit, simul suspensionem actus impugnati petens, quam petitionem Em.mus Praefectus in Congressu diei 5 aprilis 2013 reiecit.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

- D.na N. utpote fidelis laica membrum erat consociationis privatae internationalis, quam ob rem condicio eius minime regitur iure Institutorum vitae consecratae vel Societatum vitae apostolicae;

- Nec stipulatus est contractus laboris inter consociationem et Recurrentem nec ad officium advocatae exercendum anno 2004 definitive in consociationem

recepta est, quam ob rem eius dimissio ad normam can. 308 tantum regitur statutis consociationis, praesertim art. 42: “Les motifs de renvoi d’un membre... sont constitués par des faits graves qui portent atteinte aux fins mêmes du Foyer ou en troublent la vie. Le renvoi sera prononcé par le père du Foyer après consultation des membres de la communauté, et avec l’accord du Conseil. Cette décision de renvoi devra au préalable être confirmée par le père du Foyer-centre”;

Ad assertas violationes legis in procedendo quod attinet perpenso quod:

- Dimissio die 4 februarii 2012 a Rev.do Praeside v.d. *Foyer X* statuta subscriptione a Rev.do Praeside v.d. *Foyer* centralis confirmata est, qui notificationem actus ad Recurrentem peregit;

- Nec constat de defectu auditionis coetus v.d. *Foyer X*, cum in actis processus verbalis sessionis diei 12 septembris 2011 exstet;

- Nec probatus est defectus consensus consilii *Foyer X*, quia Rev.dus Praeses in relatione die 16 novembris 2012 apud Pontificium Consilium exhibita expresse asserit se consensum consilii obtinuisse, dum ipsa Recurrens, ceterum, in remonstratione tantum conquesta est de defectu communicationis scriptae sessionis Consilii;

- Recurrens sive remonstratione sive recurso hierarchico sive permultis litteris probationibusque ad Pontificium Consilium missis fuse argumenta exposuit, quam ob rem neque de iure defensionis in recurso hierarchico servato dubitandum est, quod iuxta H.S.T. iurisprudentiam nec requirit publicationem actorum nec interrogationem testium ex parte auctoritatis administrativae nec defensionem oralem coram Praefecto vel Praeside Dicasterii resistentis;

- Pontificium Consilium ius defensionis ergo servavit et, amplissimo supplemento instructorio peracto, tantum dimissionem explicite confirmavit;

Ad assertas violationes legis in decernendo quod attinet perpenso quod:

- Ipsa Recurrens anno 2007 a Praeside expetiit licentiam sedem X deserendi, quod litteris diei 29 augusti 2007 concessum est;

- Iuxta Pontificium Consilium pro Laicis dimissio nititur: “... faits graves qui portent atteinte aux fins mêmes du Foyer ou en troublent la vie” (art. 42);

- Quae facta iam ante dimissionem, scilicet in litteris diei 17 februarii 2011 a Rev.do Praeside sedis principalis enumerata sunt, nempe: 1) Defectus idoneitatis ad vitam communitariam cum condivisione bonorum et cooperatione laborali (cf. art. 25); 2) Defectus idoneitatis ad collaborationem cum ceteris membris consociationis (cf. art. 33); 3) Difficultates non temporaneae sunt, sed in omnibus sedibus, ubi permansit;

- Impugnatum decretum Pontificii Consilii pro Laicis expresse statuit gravitatem factorum consistere in eorum permanentia et iteratione: “des comportements permanents et des crises qui troublent les relations communautaires et deviennent des faits graves par leur répétition”;

- Pontificium Consilium merito non egit de imputabilitate factorum, sed de eorum effectu negativo in finem consociationis: “l’effet sur la mission et la vie de l’association”; dimissio, in casu, non supponit delictum vel actum dolosum ex parte Recurrentis;

- Servata sunt artt. 43 et 77 statutorum praescripta per emendationem decisionis Rev.di Praesidis quoad redintegrationem in vita extra consociationem, securitatem socialem et adsistentiam sanitariam iuxta caritatem et aequitatem, accurata determinatione in adnexo ad decretum Pontificii Consilii facta;

Pro certo habito quod, rebus sic stantibus, Pontificium Consilium nullam legem violavit recursum reiciendo;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 10 ianuarii 2014 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Recursum contra decisionem a Pontificio Consilio pro Laicis die 18 decembris 2012 latam non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis careat fundamento.

Cautio pro expensis in arca huius Supremi Tribunalis deposita retineatur. Patrono, a Recurrente selecto, honorarium, ab H.S.T. approbatum, a consociatione solvendum est, salvo iure regressus in fine litis (cf. H.S.T., Litterae d. 13 aprilis 2013 ad Recurrentem, litterae eiusdem diei ad Praesidem consociationis necnon Decretum diei 14 maii 2013); pars resistens suae Cl.mae Patronae congruum solvat honorarium.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum ad normam art. 84 *Legis propriae*, qua haec Signatura Apostolica regitur.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 10 ianuarii 2014.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

✠ Franciscus DANEELS, O.Praem.

Archiepiscopus tit. Bitensis

Secretarius